



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Sylla Diversorum Carminum, Eodem Authore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

S Y L V V L A

D I V E R S O R V M

C A R M I N V M,

E O D E M A V T H O R E .

Q V Æ A D P I E T A T E M I N P R I M I S

S V N T N E C E S S A R I A .



Æc tibi semper erūt studio seruāda fide-
 Sincerae titulum si pietatis amas. (li,
 In primis animi mot^o cōpescce superbos,
 Moribus & fastus omnis abesto tuis.

Nam Deus elatis obsistit mentibus, idem

Gratia, & auxilio corda modesta iuuat.

Læsus ab iniusta si fortè videbere caussa,

Ne tua lædendi postulet ira vices.

Nam Deus ad sese vindictæ iura recepit,

Et vetat ultorem quemlibet esse sui.

Ocia materiam viciis, causasque ministrant,

Et multis grandi sæpe fuere malo.

Intendas igitur studiis, sanctoque labori,

Inueniatque caue pectus inane Sathan.

Nullius tibi sit melior fortuna dolori,

Esse bonus cuiuis, sit licet hostis, ames.

Ac bene de cunctis studio tenere merendi,

Quantum vel vires conditione sinent.

Turpe putes dictis alienam incessere famam,

Crimina quæ scieris iustius illa teges.

Contentus propriis, alienis parcito rebus,

Sit procul iniustis crescere velle bonis.

D 5

Magna

Magna quies contemptus opum, contemptus honorū:

Hæc capiant animum ne patiare tuum.

Quod satis est, satis esse putes, nec plura cupido

Appetat, hunc votis tu tibi pone modum.

Insidiosa tua semper de mente voluptas

Exulet, ad mores non facit illa bonos.

Nec tibi permittas vetitis insistere curis,

Sensaque sub pectus non nisi sancta cadant.

Labimur in culpam faciles, nisi cura Parentis

Æterni reuocet, continuusque metus.

Quicquid ages igitur, dices, meditabere, noris

Præsentes oculos eius adesse tibi.

Et quod teste tuo doleas fecisse sodali,

Hoc caue committas aspiciente Deo.

Ostendas animi castos sermone recessus,

Et condita probo sit tua lingua sale.

Sæpe Dei fac mente memor benefacta reuoluas,

Sæpe Deo grates, quo decet ore, feras.

Sobrietatis amor vita seruatus in omni

Corpora castiget, luxuriamque premat.

Proderit & precibus, lacrymisque è corde profectis

Sapius æthereum sollicitare Patrem.

Parcaque lasciuæ opponi ieiunia carni,

Quæ nisi frenetur, bella timenda ciet.

Denique pauperibus tua sit porrecta iuuandis

Dextera, fortunæ pro ratione tuæ.

Hæc tibi semper erunt studio seruanda fideli,

Sinceræ titulum si pietatis ames.

SPIRITVI SANCTO.

Spiritus alme veni, nostrisque illabere rebus,

Muneribusque reple pectora fida tuis.

Argentos animos sancto succende calore,

Vtque Dei flagrent semper amore, iuua.

DIVERSORVM CARMINVM.
IN ORATIONEM DOMINICAM
PARAPHRASIS.

59

OMnipotens hominum genitor, fator vnice
rerum,
Mortales patrio semper amore fouens:
Cęlesti qui sic habitas regnator in aula,
Vt tamen & præsens inferiora iuues:
Vt cunctis præstes vitam, atque alimenta creatis,
Parsque tuo rerum numine nulla vacet:
Effice sanctificent cunctæ tua nomina gentes,
Semper & officio, quo decet, illa colant.
Fac nos sollicita tua iussa facessere mente,
Moribus è nostris vt tibi surgat honos.
Vocis adorandæ cauti reuerentius vsum
Traitemus, grauior nec nisi caussa sinat,
En vitia, & pestes variæ, quas dicere non est,
Atque Erebi in nobis regna tyrannus habet.
Tu procul exactis animorum Regibus istis,
Iniicias dominas in tua iura manus.
Sit tua solius nostræ possessio mentis,
Nil ea te præter quærat, adoret, amet.
Ac tantum valeant totum tua scita per orbem,
Dent vt eis facilem pectora cuncta locum.
Scilicet vt tandem puri, & sine labe queamus
Ætheri tecum regna tenere soli:
Cuius vt indigenæ prompti tua iussa sequuntur,
Et peragunt alacres, quod tibi cunque placet:
Sic tibi mortales certent parère, nec vllus
Sustineat placitis abstinuisse tuis.
Corporis inde tui, & cęlestis munere verbi
Esuriem nostri pectoris oro leues.

Vique

Utque pij numeros omnes impleſſe parentis,
 Et merito ex omni parte ferare bonus,
 Præbe humana quibus doleat natura negatis,
 Noſtraque prouifis corpora paſce cibis.
 Nos porro debere tibi permulta fatemur,
 Quæ faciunt pœnæ vindicis eſſe reos:
 Pignoribus ſed parce tuis, huiusque remiſſor
 Da penitus triſtem debiti abeſſe notam:
 Si nullo læſi vindictæ ardemus amore,
 Si veniam, nobis qui nocuere, damus.
 Nos caro, nos mundus, nos Dæmonis arma maligni
 Vndique circumſtant, difficilisque fuga eſt:
 Vincula qui nobis, & mille pericula tendunt,
 Exercentque animos per genus omne doli.
 Tu Pater hæc contra, fortes vt ſtare queamus,
 Sufficias vires, nec patiare capi.
 Omnia corporibus noſtris inimica repelle,
 Quæque ferant animis damna, fac eſſe procul.
 Denique ſemper eos, genitor quibus eſſe tulisti,
 Cura ſit à cunctis aſſeruiſſe malis.

AD BEATAM VIRGINEM MATREM.

Virgo parensque Dei ſalue, præcordia cuius
 Impleuit celſo gratia miſſa polo.
 Ille tuo ſtabilem fixit ſub pectore ſedem,
 Cui cælum, tellus, ſeruit, & omne fretum.
 Felicem ante alias omnis te lingua fatetur,
 Nec mulier titulum hunc iuſtius vlla gerit.
 Quin benediſta tui ſoboles quoque ventris I E S V S
 Saluificæ allator C H R I S T V S & author opis.
 Hunc nobis genitum queſo placare labora,
 O M A R I A illæſæ virginitatis honor.

Sæpe

Sæpe illum stolido vecordes lædimus ausu,
 Tendimus insanas ad mala sæpe manus.
 Hinc sufferre graues pœnas, & dira meremur
 Supplicia, erratis si dare digna velit:
 Sed precibus flexus posita miserebitur ira,
 Et veniam lapsis, tu modò posce, dabit.
 Te siquidem dura non auersabitur aure,
 Audiet oblatas à genitrice preces.
 Effice vt exilij post tristia tempora nostri,
 Quæsitox veniens crimina nulla notet.
 Ac penitus culpa vacuos, omnique reatu
 In sua nos placido numine regna vehat.

AD EANDEM HYMNVS,

Salve regina.

O Regina piæ bonitatis maxima, Salue,
 Vita, mel, & nostræ fons & origo spei.
 Nos te sollicito miseri clamore vocamus,
 Quos patriæ extorres protulit Eua parens.
 Anxia cum lacrymis ad te suspiria pressi,
 Tollimus è plenis fletibus hisce locis.
 Quæso igitur Patrona tuos miserata clientes
 Respice, ferque oculos ad mala nostra pios.
 Exiliique huius fac nos post tempus IESVM
 Sancti vteri fructum cernere posse tui.
 O clemens, ô virgo pia, & dulcedine plena,
 O MARIA intacti gloria prima chori.

POST partum sacra virgo tibi inuiolata remansit
 Virginitas, damno nec peperisse fuit.
 Alma Dei genitrix, iras auertere Nati
 A nobis precibus nitere quæso tui.

VIRGO quæ partu nunquam temerata fuisti,
 Nos prece apud Natum tende iuuare tuum.

E x

EX MARTIALIS PHALEVCIO,

de vita beata μίμνσις.

Vitam quæ faciunt mortalibus esse beatam,
 Hæc quisquis numero fortè requiris, habet.
 Res relictæ tibi, proprio nec parta labore,
 Et fata qui multo fenore reddat ager.
 Non operosa domus, sed mundo culta paratu:
 Et qui perpetuo luceat igne focus.
 Omne superuacuis ductum sine litibus æuum,
 Raraque principibus cura placere viris.
 Libera mens cura vigili, pectusque quietum,
 Ingenuæ vires, robora firma satis.
 Corpora Pæonij quæ non sint indiga succi,
 Integritas membris semper amica tuis.
 Prudens simplicitas, vsus consortis amici,
 Conuictus facilis, qui vacet arte cibus.
 Libera nox curis, non ebrietate soluta:
 Non tristis thalamus, castus at ille tamen.
 Somnus qui faciat non longas esse tenebras,
 Vnde tuas vires restituïsse queas.
 Quod sis, esse velis, huic nil præelegeris vnquam:
 Nec tua formides fata, nec illa voces.

DE EADEM EX EVANGELIO

Matthæi. Cap. 5.

Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.
 Qui neque diuitias animus, neque curat honores,
 Atque odia offensus non inimica gerit;

Peccati

Peccati dolor assiduus, luctusque perennis,
 Esuries ardens iustitiæ, atque sitis.
 Auxilio miseri fratris pia cura fouendi,
 Nullis fœda malis pectora, pacis amor.
 Et grauis infestos hostis tolerare furores,
 Iustitiæ rectum quod gradiaris iter.
 Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.

CANTICVM FILIORVM ISRAEL.

Cantemus Domino.

CArmina pangamus Domino, se gloria cuius
 Extulit insigni magnificata modo.
 Merfit equum tumidis, infessoremque superbum
 Fluctibus, & sæuas in maris egit aquas.
 Ille mea est virtus, & læti causa triumphi,
 Laus mea, saluificæ semper & author opis.
 Semper erit Deus ille mihi, fuit vsque parenti
 Ille meo, hunc meritæ laudis honore feram.
 Bellatoris opus validi munusque peregit,
 Et meritò titulum cunctipotentis habet.
 In mare proiectos currus Pharaonis equosque,
 Signaque commotis bellica pressit aquis.
 Purpureis lecti proceres periere sub vndis,
 Et bellatorum nomina clara virum.
 Fluctibus impliciti saxorum more profundi
 Descendere suo pondere ad ima vadi.
 Hic Deus alte tuæ patuerunt maxima dextræ
 Robora, ab hostili nobilitata nece.
 Ingenti cum laude tua, multoque decore
 Prostrata interiit turba inimica tibi.

Irarum

Irarum flammis cuncti periere tuarum,
 Flagranti stipulæ sicut ab igne leues.
 In capita ipsorum furioso feruidus æstu,
 Undique fecisti colligerentur aquæ.
 Ast nobis inter fluctus vtrimque reductos
 (Mirandum) sicco tramite facta via est.
 Scilicet in geminas sciderat se Pontus abyssos,
 Restiteratque fluens iussibus vnda tuis.
 Hostis at ingressos postquam nos æquora vidit,
 Versa sequar turbæ terga abeuntis, ait.
 Persequar, in promptu est illam cōprehendere nobis,
 Ipsi cunctas diripiemus opes.
 Diuitibus spoliis, raptoque implebimur auro,
 Gaudebit tantis mens satiata bonis.
 In profugos stricto rapidi mucrone ruamus,
 Ut genus hoc nostra concidat omne manu:
 Talia communi dum iactant voce, simulque
 Audaces ponunt per vada falsa pedes:
 Protinus Omnipotens celo tua flabra remittis,
 Omnis & in Pharium soluitur vnda caput.
 Demersi vt plumbum fluctus cecidere sub altos,
 Tam rapidas potuit vincere nullus aquas.
 Quem quæso fortes inter memorare queamus,
 Qui tibi se valeat dicere iure parem?
 Magne Deus, superet quantouis robore quisquam,
 Nil tamen ad vires fecerit ille tuas.
 Sanctus es, & titulo hoc excellis quicquid in orbe
 Inclytus vnde tibi conciliatus honos. (est,
 Terribilis Deus es, pariter quoque laude vehendus;
 Mira facis passim, qualia nemo potest.
 Nam simul ac hostes dextram super extendisti,
 Intereunt, ceu quos alta vorauit humus.

Porro

Porro seruitij populum de fasce redemptum,
Deduxi multa cum pierate tuum.
Hunc, inquam, populum robustis viribus vsus
Ad loca direxti sanctificata tibi.
Fama Paestinas postquam peruenit ad oras,
Corripuit gentis pectora mœsta timor.
Hinc etiam primi procerum turbantur Idumes,
Et fortis puido corde Moabus erat.
Obriguit Chanaan causa stupefactus eadem,
Inque animis horror, corporibusque fuit.
Hos super anxietas animi, formido, pauorque
Irruat, esse sciant brachia magna tibi.
Attoniti rigeant vt saxum, immotaque cautes.
Detur vt innocua transitione frui.
Pigra illos torpedo liget, nequeantque moueri,
Quo tua gens cœptas terminet vsque vias.
Te duce pergentes læti montana petemus,
Quæ tibi sanxisti sortis habenda loco.
Sancta vbi constitues æuum firmanda per omne
Templa tuæ dextræ cunctipotentis opus.
Victor iô æternum Dominus regnabit, & vltra,
Nec modus imperij, meta nec eius erit.
Impius in medias Pharao descenderat vndas,
Traxerat huc currus, bellica signa, duces.
Hos super ille mare intorquet, fluctusque reducit,
Et grege de tanto nil superesse facit.
At proles Isaci diuisa per æquora tuto
Ingressa est, nec aquis immaduere pedes.

E

Ex

EX LIBR. IOB, CAP. I.

Nudus egressus sum, &c.

EX vtero genitrix me nudum fudit in auras,
 Et repetam nudo corpore rursus humum.
 Diuitias & opes Dominus, sortemque beatam
 Contulerat, propera sustulit illa manu.
 Scilicet ipse suis placitis indulgit, & egit
 Quod visum est, animo collibuitque suo.
 Laudibus illius nomen celebretur, eique
 Humani resonet debitus oris honos.

EX EODEM, CAP. XXI.

Ducunt in bonis dies suos, &c.

IN lætis peragunt fugientis tempora vitæ,
 Momentoque breui tartara ad ima ruunt.

TOTA PVLCHRA ES

amica mea, &c.

INter formosas mea dulcis amica puellas
 Tota decora nites.
 Quæ Charitū superat decus, atque Heroidas omnes
 Semideumque genus.
 Gratiior Hyblæo facundia melle, diserto
 Cuius ab ore fluit. (pura,
 Balsama quod redolent, quod Staete, & Cinnama
 Quod Cilicumque croci,
 Quicquid mollis Arabs profert, & quicquid odor
 Barbara Memphis habet,
 Quicquid & extrêmis mittit niger Indus ab oris,
 Quicquid & Assyrius:
 Hoc vnguenta meæ redolent purissima nymphæ:
 Gratius illa tamen.

Sytho.

Sythonius Boreas, & aquosus abiuit Orion:

Cana recessit hyems:

En mollis Zephyrus genitali vberrimus aura

Germine soluit humum.

Terra parens rerum fundit sua munera circum

Corpore restibili.

Et votis auidi iam responsura coloni

Exilit alma Ceres.

Quid volucrū genus, aut pecudū, nōne omnia grato

Suauiter igne calent?

Quam nos, si nescis, mea lux hoc vrimur igne,

Nos calor iste coquit?

Quem tu diua potes (si vis) extinguere, sola

Quæ facis vt caleam.

Ergo veni mea lux votis optata secundis,

Te mihi da facilem.

Viuamus pariter tempus dum suadet, & ætas,

Et finit ipse Deus.

Surge age: quid gelidi fragosa cacumina montis

Incoluisse iuuat?

Surge veni: quid dura moras innectis amori?

In mea rura veni.

Nos tua Phœbæa cingemus tempora lauro

Sutilibusque rosis.

VIATORIS ET IUSTITIÆ

DIALOGVS.

O Buia progreditur gestu, motuque setero
Fœmina, nec certum quid velit ipsa, liquet.

Frons caperata, manu mirum gestamen vtraque,

Quæ sit, quidque agitet mente, rogare iuuat.

Quam te esse ô mulier dicam? qua voce vocabo?
Nam tali visa est schemate nulla mihi.

I v s r. Iustitia appellor præfenti incognita seculo,
Nominis hoc veteres imposuere mihi.

V i a t. Illa ne, quæ quodã populos, & regna regebas,
Et sua tam sanctè iura cuique dabas?

I. Hæc eadem: idcircoque bonis dilecta placebam
Omnibus, & contrà fontibus horror eram.

Per me res stabili gaudebat publica pace,
Me sine spes longæ nulla quietis erat.

V. Has ego sæpe tuas laudes audire recordor,
Atque alias, esses dum mihi nota parum:

Quo magis te lætor coram spectare. sed vnde
Stant adèò in vultu lumina torua tuo?

I. Fit, quia non flector lacrymis, præciòue, minisue,
Causa nec à recto me trahere vlla potest.

V. Vnde genus? I. Dicã, Cælo sum nata. V. Parètes?
I. Sunt Modus, atque Fides stirpis origo mea.

V. Cur gladium dextra portas, leuaque bilancem?
I. Hæc trutinat causas, percutit ille reos.

V. Auris aperta tibi cur hæc, cur clauditur illa?
I. Panditur hæc iustis, clauditur illa malis.

V. Cur tibi tam pauper cultus? I. Quia viuere iustè
Qui volet, haud magnas ille parabit opes.

V. Cur adeo vrbe procul per deuia rura vagaris
Tristis, & incertas isque redisque vias?

I. Quæro nouas sedes, passim violorque, fugorque,
Penè mihi vt nullus restet in orbe locus.

V. Cur sola es, nec te quisquam comitatur euntem?
Conuenit hoc statui non bene Diua tuo.

I. Quid facerem? soliti me deseruere ministri,
Deque meis vix iam sunt duo trësue super.

V. Qui

V. Qui pote? Iustitiæ quando venerabile nomen
 Tam charum cunctis sueuerit esse locis?

I. Fas mihi sit salua quod res est dicere pace,
 Nec malè vertatur si manifesta loquor:

Hic captus donis, alius prece victus amici,
 Hic spe nescio qua mobilis, ille metu:

A iusto ad fraudes pulso cessere pudore,
 Et mihi iuratam prostituere fidem:

Meque licet prodi quererer, solamque relinqui,
 Questibus ardentes adiiceremque minas:

Exigeremque mihi prestari pacta, fidemque:
 Versa nihil moti terga dedere tamen.

Si permansissent stabiles mea signa sequuti,
 Sors hominum tantis non foret iæta malis.

Quin ipsis etiam multo potiora dedissem
 Præmia, quam capiant, lucraque certa magis.

V. Sed nunquam referes ad nos vestigia, nunquam
 Ad mala respicies lumine nostra pio?

Discessum culpæ tuum quid voce necesse est?
 Qualia sint certè damna secuta vides:

Nam simul ac sedem liquisti virgo, simulque
 Ensis ab officio destitit iste suo;

Cernis ut in peius tulerint sese omnia, quamque
 Absint à solita conditione procul.

Cuncta referre piget miseri lamenta popelli,
 Forsitan & possint tædia ferre tibi:

Ut tamen è grandi decerpam paucula aceruo,
 (Noris ea haud vlllo testificante licet)

Impietas latè cunctas bacchata per oras
 Infecit mores quidlibet ausa bonos.

Hæresis immensas vires, & robora sumpsit,
 Postquam vim gladij sensit abesse tui,

Iamque tumens fastu, percellit quicquid auitu est
 Proque pia in folio religione sedet.
 Interea antiquæ lugent pietatis amantes,
 Si tamen est vllis inuenienda locis.
 Calcantur veteres, & sunt sine pondere leges,
 Inuasit iuris cæca libido vicem.
 Pulsa fides, cunctis que subest fallacia rebus,
 Simplicitas premitur, sub pedibusque iacet.
 Artibus, ac fucò sincerum cedere verum
 Cogitur, & laudem qui bene fraudat habet.
 Denique de nobis iam pridem dicere fas est,
 Nil sani à summo vertice adusque pedes.
 Huc ferus accessit Mauors, reliquumque quietis
 Sustulit, atque nouum sparsit vbique nefas.
 Belgica terra prius rebus spectata secundis,
 Quam miseranda modò est, dissimilisque sui?
 Nil adeò infandum tulerit quin illa, feratque,
 Fortunæ nec adhuc spes melioris adest.
 Vix adeò vt videas tot iam de millibus vllam
 In qua non resonet iusta querela domum.
 Per rura, atque vrbes populans incendia miles
 Miscet, & impunè quilibet igne cremat.
 Sumptibus immensis, multoque extructa paratu
 Tecta ruunt passim, nomina sola manent.
 Quam loca multa iacent ausu prostrata nefando
 Puluere sub turpi, ruderibusque suis?
 Cætera ne memorem, exemplum miserabile præbet
 Lopanium, quo se Grudia iactat humus.
 Inclyta Musarum sedes, nunc triste cadauer
 Urbis, & antiquæ nomen inane scholæ.
 ¶ V. Hæc rumore meas dudum venere sub aures,
 Quamque velim casus notior ille mihi est.

Quem

Quem simul audiui, ingemui, ac sine voce resedi,
Attonita, atque dolens fata vicem que loci.

Prodiit hinc studiosa mei, legum que mearum
Multa cohors, locuples hic mihi messis erat.

V. Credo equidem hac multum tibi decessisse ruina.
Ast erat officij non tolerare tui.

Quodque magis flendum est, & acerba morte piadum,
Signaque maioris quod feritatis habet,

Eruere a fundo sacratas numinis aedes

Aetherei, atque ipsum pellere sede Deum:

Vasa pia, & vestes, sceleratos vertere in usus,

Sanctaque sacrilega frangere signa manu,

Virginibus stuprum sacris inferre nefandum,

Vim facere immeritis, & iugulare bonos,

Tot veneranda patrum seculi monumenta prioris

Tollere, peccati res habet ista nihil.

Ad furta, & praedas rabidorum more luporum

Curritur, & violens omnia raptor habet.

Si quis opem rebus laesis a iudice quaerat,

Haud quicquam lacrymae verba, precisue iuuat.

Nempe quid auxiliij queso ferat ille, scelestas

Furacesque palam qui fouet ipse manus?

Ergo quia erumnæ cumulo grauiore perurgent,

Quam vires vllæ pondera ferre queant:

Diffugiunt passim ciues, & pignora secum

Parua trahunt charæ dulcia membra domus.

Sedibus expulsi propriis aliena frequentant

Limina, & exilij tædia dura ferunt.

Quique domi insuerant traducere molliter auum,

Nunc omni vitæ commoditate carent.

Vidi ego qui rebus fuerant paulò antè beatis,

Mendicas vacuo tendere ventre manus.

Tota quid hic memorem diris concessa rapinis
 Oppida, quæque solent facta nefanda sequi:
 Facta nefanda, vetet quæ mens generosa referri,
 Quæque reformidet lingua pudica loqui:
 Quæ fugiat meretrix, quæ iniustus prædo recuset,
 Quæque cruore madens horreat ipse latro.
 Ciuibus hinc vacuas vrbes, & rura colonis
 Aspiceret est, miseris cunctaque vasta modis.
 Vox me deficiet, condet labentia Titan
 Lumina, dicendi nec mihi finis erit,
 Omnia si verbis coner tibi Diua referre,
 Quæ populum cogit Martia turba pati.
 Si tu fortassis non tam properanter abîsses,
 Nulla foret tantis facta fenestra malis.
 I. Sponte mea (vt dixi) haud quaquã loca vestra reli-
 Vis, dolus, ac preciũ causa fuere fugæ. (qui:
 Hinc etiam factum, vt fidis viduata ministris
 Non habeam per quos commoda vestra iuuem.
 Iusta querela tua est, fateor, sed prisca redibunt
 Tempora, reddatur si mihi priscus honos.

D 10.

DIVERSORVM CARMINVM. 73
DIOGENIS ET ALEXANDRI
DIALOGVS EX LVCIANO.

ARGVMENTVM.

Magnus Alexander latissima regna tenebat,
Immensiq; gradum nactus honoris erat.
Eius opes tantas celeri mors inuida telo
Perculit, & longa non tulit esse mora.
Huius ab exemplo fas est cognoscere, nullam
Humanis certam rebus inesse fidem.

Siccine Alexander pallentia regna subisti,
Mortuus & vulgi tu quoque more iaces?

ALEX. Sic factum Cynice est. Quid enim res mira
putetur,

Si mors mortales in sua iura trahat?

DIOG. Sed Ioue prognatū populi te fama ferebat,
Dicta, quid, an Libyci vana fuere dei?

AL. Vana: Philipp⁹ erat genitor mihi, si foret Ammō
Stirps mea, non tua, Mors, præda futurus eram.

DI. Quin etiam de matre tua mira esse loquutos
Mortales memini quando superstes eram.

Congressu illi vterum validi intumuisse draconis
Aurato visi prosiluisse thoro.

Illo te multi referebant sanguine cretum

Humano longè maius habere genus.

Fama fidem vulgo reperit, roburque recepit,

Se licet Emathius crederet esse patrem.

AL. Fama quidē fuerat, fateor, quàm vera, profecto

Qui mea nunc spectet funera scire potest.

DI. Attamen istius vanæ mendacia famæ

Causa tibi immensi plurima honoris erat.

E 5

Quum

Quum te mortales lapsum de sede putarent
Ætherea veri numen habere Dei.

Sed dic quem tanti subiturum pondera regni
Hæredem tabulis scripseris oro tuis.

A L. Sic abij raptus fatis properantibus, vt res
Copia non fuerit composuisse meas.

Hinc mea quis teneat regnator sceptrâ, quis illas
Queis potiebar opes, non mihi nosse datum est.

Aureus in digito qui tunc erat annulus, illum
(Hoc scio) Perdicæ morte premente dedi.

Sed tua nescio quid diduci labra videntur:

Causa, age, quæ vultus istius esse potest?

D I. Vix risum teneo, cùm Graiûm facta recordor,

Qui tibi plaudentes omnia summa dabant.

Tempote quo primùm regni successor & hæres

Sumpstisti tenera sceptrâ relicta manu:

Tunc te ductorem memini legisse Pelasgos,

Qui obuia barbaricis gentibus arma dares.

Inde tibi pingues aras & templa locasse,

Et tanquam haud dubio sacrificasse Deo.

Nec dubitasse tua visum cum matre draconem

Auctorem certum sanguinis esse tui.

Sed mihi, quæso, refer quo sint tua mēbra sepulchro

Condita, defuncto quis datus extet honos?

A L. Tres sine honore dies iaceo Babylone relictus,

Et caret extructis corpus inane rogis.

Sed Ptolemæus amans nostri, fidusque satelles,

Hæc mea non segni damna leuabit ope.

Namque vbi compresso fuerint sedata tumultu

Omnia, non longè qui modò abesse potest,

Tum feret ad Pharios exutum lumine corpus,

Atque ibi conspicui numinis instar ero.

D I.

Di. Non mea contineo rumpentibus ora cachinnis,
 Tam mihi stultitiæ plena videre loqui.
 Sedibus infernis cultus sperare deorum
 Non pudet, exiguum tam tibi mentis inest?
 Scilicet vt fias alter latrator Anubis,
 Vel quem Memphitæ sub bouis ore colunt?
 Quin istas potius spes diuinissime pone,
 Friuola fac animo sint procul ista tuo.
 Haud semel emensam fas est remeare paludem,
 Nec redit ad superos quem specus ista capit.
 Non ita Tartareis agitat lecurus in oris
 Æacus, vt speres fallere posse fuga.
 Nec tam defectus, mihi crede, aut dente retuso
 Cerberus, vt prædam quam tenet, ire sinat.
 Porrò scire velim qua tandem mente tulisti,
 Quaque etiam tibi tot commoda rapta feras?
 Lapsane præteritæ sortis fortuna remordet,
 Num tua tam felix gloria, quando subit?
 Dumque tot argenti succurrunt pondera & auri,
 Dumque tuo gentes tot domitæ ense truces?
 Bactra quid hîc memorê, quid vel Babylona super?
 Victa sub imperium colla dedisse tuum? (bam
 Quàm numerosa tuæ semper custodia vitæ
 Præsto tibi, & turbæ vis famulantis erat?
 Feruebant procerum strepitu tibi cuncta, ducumq;
 Stipabant folium millia multa tuum.
 Tu verò Heroas inter proceresque, ducesque,
 Quos modò commemorini, conspiciendus eras.
 Sublimis, fulgens ostro, crinemque tiara
 Vincus, adorandum denique numen eras.
 Hæc memori quoties, atque his potiora recurfant,
 Nonne cient animo tædia acerba tuo?

Stulte

Stulte quid illacrymas? princeps Stagirita Sophorū,
 Cuius es eximia doctus ab arte puer,
 Res ne tibi vetuit firmas stabilesque putare,
 Quas Fors arbitrio datque negatque suo?
 A L. Nempe bonus Sapiens, si fas mihi vera fateri,
 Assentatorum pessimus ille fuit.
 Da veniam fasso, sanè quàm plurima ab illo
 Offendunt animum nunc quoque facta meum.
 Nam quamuis rectè fugienda, tenenda moneret,
 Multaque monstraret non renuenda bonis:
 Nil tamen istorum proprios traduxit in vsus
 Doctrinæ discors moribus ipse suæ.
 Paucaque vt è multis memorem, fuit vsque petaci
 Ingenio, & nimium turpiter arsit opes.
 Quid referam quæ scripta mihi transmiserit olim,
 Vique iuuentutem luserit ille meam.
 Ambitiosus eram, laudisque vtebar amore,
 Hoc quoque amore suas auxit abusus opes.
 Namque ego Palladia cùm vellem primus in arte
 Vincere, & hac nobis nil foret orbe prius,
 Ille meos aliò iuueniles transtulit annos,
 Mensque fuit studij protinus orba sui.
 Quippe mihi auriculas mendaci radere palpo
 Occipit, atque aliud tradere laudis iter.
 Nunc me felicem præstantis dicere formæ,
 (Ceuforet in veris illa locanda bonis)
 Nunc me felicem gestarum tollere rerum,
 Et nunc diuitias magnificare meas.
 Nec dubitabat enim numero sociare bonorum
 Maxima quæ Samius diceret esse senex.
 Nam quia auarus opes studio captabat anhelò,
 Scilicet hac turpem diluit arte notam.

Artibus eloquij fallax, maiore nec vllus
 Nexuerit vafros calliditate dolos.
 Ergo huius nobis dedit hunc sapientia fructum,
 Vt luctu finem non faciente premar.
 Tot siquidem cecidisse bonis, quibus antè fruebar,
 Méne putas modico posse dolore pati?
 Di. Vis tibi vt expediam fidi medicamen amici,
 Quo tua fata modo commodiore leues?
 Quum nulla his crescant nigris aconita sub antris,
 Fac de Lethæo largiter amne bibas.
 Sic tibi Aristoteles fugiet de pectore totus,
 Nec memorem posthac quod cruciabit, erit.
 Sed glomerare pedes, celerique accurrere passu
 Complures, tumidas & dare cerno minas.
 Inprimis Cliri video, & Callistenis ora,
 Cumque illis alios, qui tibi sæua parant,
 Atque vices de te repetunt, pœnasque repossunt
 Turpiter illatæ pro ratione necis.
 Quin fuge, & oppositæ propera succedere ripæ,
 Et tua Lethæus proluat ora liquor.

DE TEMPO VIRTUTIS

& Honoris.

NVmina multa sibi sacrauit vana vetustas,
 Finxit & innumeros non bene sana deos.
 Nonnulli quorum risumque, iocumque merentur,
 Sunt, detestari quos quoque iure queas:
 Sunt quorum laudanda etiam videatur origo,
 Scilicet hos Virrus inter Honorque fuit:
 Sacra quibus memorant Marcellum templa dicasse
 Ditatum spoliis terra Sicana tuis.

Qui

Qui primus docuit victorem Marte superbum
 Annibalem trepida vertere terga fuga.
 Illa sed hoc positu perhibent constructa modoque,
 Atque ita vicinis continuata locis,
 Alterum ad alterius sua per compendia limen
 Duceret, atque viæ posset vt esse loco:
 Nec nisi Virtutis sacrum penetrabile subisses,
 Fas tibi tangendi limen Honoris erat.
 Scilicet vt noscent mortales quisquis honores
 Posceret, huic virtus ante colenda foret.
 Quamquam præterita hac multi perumpere ad illos
 Contendunt, scutica turba fuganda graui,
 Sic quoque non pauci Christi ingrediuntur ouile,
 At non per Christum qui via solus erat.
 Delitias etiam, atque ignaua per ocia multi
 Peruia celorum regna futura putant:
 Quum tamen illa pati vim Christus dicat, & in que
 Non, nisi perpeffus plurima, fecit iter.

DIOGENIS ET CATONIS DE
Furibus, & Anacharsis de legibus dicta.

Compreffum duci furem quum forte videret
 Is cui cognomen vita canina dedit,
 Magnus, ait, paruum rapit in sua vincula furem
 Sumpturus penas dignior ipse pati.
 Hac Cynicus. Magni subscribunt dicta Catonis,
 Censuræ gestus quem celebrauit hono:
 Priuatas hominum res qui furantur, in arcto
 Carcere, dicebat, degere more feræ:
 Publica, qui rapiunt, prædaque implentur opima,
 Læta etiam sceleris præmia ferre sui.

Pur.

Purpureos videas illos, auroque nitentes
 Agmine feruorum terga sequente gradi.
 Nimirum telis similes quas texit Arachne,
 Iure queant leges dici Anacharsis ait.
 Constringunt inopem, perrumpunturque potenti:
 Huic parcunt, illi vincla crucemque parant.

QVIS VERE POTENS.

Nomine non falso qui se volet esse potentem,
 Ille suos animos, & fera corda domet:
 Nec sua fallaci deuicta libidine colla,
 Vnquam sustineat vincula foeda pati.
 India tota licet longè tua iura tremiscat,
 Vltima sit Thulæ subdita terra tibi,
 Si tamen haud animi potis es componere fluctus,
 Nomine mentito diceris esse potens.

DESCIPTIONE,

Ex Valer. Max. Lib. III.

Scipio Pompei partes & signa sequutus,
 Dum certat genero fidus adesse socer:
 Cæsareo infelix superatur milite, victus
 Per maria Hispanos non bene tuta petit.
 Dumque ferox hostis fugienti instare sequendo
 Continuat, captam conspicit ille rātem.
 Pectora correpto sua mox transfuerberat ense,
 Dumque capi non vult, occupat antè mori.
 Nec mora, dum celeri moribundus puppe iaceret,
 Aduolitant hostes, de duce quisque rogat.
 Ille sed infesto postquam se milite sensit
 Quæri, nil aliud, Dux bene, dixit, habet.
 Tantillum vitæ pulchros seruarat in vsus,
 Signa quod inuicti pectoris apta daret.

DE

DE CATONE EX EODEM.

CLara tuæ æternum mortis tenet Vtica nomen,
 Quam tua conscivit dextera, magne Cato.
 Illic manavit generoso è vulnere maior
 Gloria, quam fuerit sanguinis vnda tui.
 Namque inuicta fodis rigido dum pectora ferro,
 Et constans animo nil dubitante cadis,
 Nempe doces, quanto melius sit morte decora
 Extingui, vita quam sine laude frui.

IN EVNDEM GVILLIELMI ESTII
Theologi & Poëta doctiss. Epigramma.

Vel Cato dignus eras sæua qui morte perires,
 Tale nihil mores vel meruere tui,
 Si nece dignus eras, cur te laudare Poëta
 Virtutemque tuam tollere ad astra student?
 At si non meritus fueras vt morte perires,
 In fontem morti cur tua dextra dedit?
 Iustus & innocuus certè licet antè fuisses,
 Factus es è iusto sic moriendo nocens.

DE DIOGENE CONTRA
 POPVLVM NITENTE.

EXiret pleno populus quum forte theatro,
 Densaque compressum turba teneret iter,
 Confertos contra Cynicus contendere certat,
 Vrget & aduersus millia multa gradum:
 Conantem rident omnes ceu mentis inanem,
 Pergere conatur non minus ille tamen:
 Cur faciat rogitant, hæc dicta rogantibus infert:
 Ingenio quadrant scilicet ista meo:

Nimi-

Nimirum vt populo semper contrarius irem,
 Omne fuit studium propositumque mihi.
 Quicquid enim magno consensu amplectitur ille,
 Inuisum meritò debet habere sophos.

DE PRÆTORE, CALLIDITATE
rustici inducto, vt contra se sententiam ferret.

PRÆtoris fundo quum proxima rura teneret
 Rusticus, in medio vt non nisi fossa foret,
 Accidit illius fors taurus vt huius in arua
 Irrueret, nullo vim prohibente metu:
 Ipfius vtque ferox occideret antè iuuenam,
 Adueniens aliquis quàm dare posset opem.
 Ergo miser damno percussus rusticus isto,
 Consilium vafro pectore tale capit:
 Prætozem facti ignarum petit impiger, atque
 Ciuibus vt vidit reddere iura suis,
 Tempore quo voces vllas emittere nulli
 Fas erat, assensum ni prius ille daret:
 Heu bone Prætor, ait, fas ne est mihi dicere pauca?
 Cui Prætor, fas est, si modo pauca, refer.
 Quàm tenuis limes nostros disterminet agros,
 Fossaque vt hos dirimat non spatiosa, tenes:
 Hanc noster taurus transgressus forte, iuuenam
 Quod doleo, occidit Prætor amice tuam.
 Quam pœnam tauri dominum sit pendere iustum,
 Et quid constituent hic tua iura, doce.
 Cui Iudex: precium vaccæ, vicine, necesse est
 Soluere, sic leges, iuraque nostra volunt.
 Rusticus, vt rursum dicendi facta potestas,
 Erraui imprudens, optime Prætor, ait.

F

Quippe

Quippe tuus nostram volui tibi dicere vaccam
 Occidit taurus, lapsaque lingua mea est.
 Hic Prætor, res est alia hæc respondet, at ille,
 Imo eadem, Iudex, vnaque prorsus, ait.
 Gaudeo, dixisti mihi ius æquumque bonumque,
 Quale sacrae leges, scitaque vestra iubent.
 Sic vater interpres iuris delusus iniqui,
 Iudicij pœnam pertulit ipse sui.

IN OBITVM D. IOAN. COSTERII,
Prioris Martinens. apud Louan.

Costerius iacet hic, satis hoc monuisse viator,
 Nempe quis audito nomine plura roget?
 Sponte tibi hic subeunt niuei, & sine crimine mores
 Canaque cum summa religione fides.
 Inuictum pectus, nulli penetrabile culpæ,
 Virtutis custos, nequitiaque fugax.
 Intentum studiis semper, sanctoque labori,
 Denique per cunctos vita probata modos.
 Arribus in cælum si quis grassetur eisdem,
 Expectet placidum post sua fata Deum.

ADVERSVS ELOGIA QVÆDAM
*conscripta in laudem præcipuorum nostri
 temporis hæreticorum.*

M. LUTHERVS.

Qviueris attonitas hominum percellere mētes,
 Quolibet & dictis flectere corda tuis,
 Sparseris & latè diuini semina verbi,
 Ausoniumque fero presseris ore Papam:
 Nil tamen est quod te possit transcribere cælo,
 Quòd tantum Stygiis sint tua grata plagis.

IN EFFIGIEM EIVSDEM.

HÆc tibi versutū demonstrat forma Lutherum,
 Qui diram toto sparsit in orbe luem.
 Cuius ab impuro fluxerunt omnia fonte,
 Quæ tua, Christe, dolens sponsa flet, atq; gemit.

CALVINVS.

DE virulo fingit titulum tibi turba proteruo
 Plurima, Teutonicos voce sequuta sonos.
 Arabido cuncta euertendi sacra calore
 Te dici quidam non malè posse putant:
 Iustius à caluo ducas tua nomina verbo,
 Nam lingua & scriptis caluere doctus eras.

BVCERVS.

LVdibrium sortis variè iactatus Areti
 Sparsisti ingenij multa venena tui.
 Extinctum fato tumulauerat Anglia corpus,
 At rursus meritis ignibus illa dedit.

VIRETVS.

Viretum à cultis ducit quicumque viretis,
 Fallitur, à virus vocis origo venit.
 Quippe Allobrogicas infecit pestifer oras,
 Sensisti hoc damno bella Losana tuo.

F 2

MELAN-

MELANCHTON.

S Acra Philippe tuo infulcasti scripta nigrore,
 A terraque refers non malè nomen atra,
 Viribus assumpsti munus Rhetorcule maius,
 Debueras sacris abstinuisse libris.
 Vel tibi quando horum suberat tam magna cupido,
 Perdite, Catholicos insequerere duces.

FINIS.

EMENDATIONES.

Pagina 11. lin. 23. perculit arcu. 30. 24. ubiq; quies. 47. 30. canje
 monet. 55. 24. Stygia de sauce.

VIRTVS.